





~~11-58~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-58  
SIGNAT. clvccccxiii.





43

EPISTOLA VALEDICTORIA,  
    Qvâ,  
    erga  
VIRUM MAXIME REVERENDUM,  
    AC NOBILISSIMUM,  
    DOMINUM  
MICHAELEM LIEFMANNUM,  
LIGNITZIO SILES. Philolophiæ Doctorem, &  
Theologum Consummatissimum, nuper Ecclesiæ Au-  
gustanæ Confessionis in Metropoli Superioris Hunga-  
riæ, Cassoviâ, Pastorem Primarium, Gymnasii ibidem Inspe-  
ctorem & Sex Regiarum Liberarum Civitatum Superins-  
tendentem Vigilantissimum,  
    nunc  
    ritè Vocatum  
ad Functiones PASTORIS, & INSPECTORIS  
Ecclesiæ Augustanæ Confessionis Birnbaumensis  
in Majori Poloniâ, per DEI Gratiam, ornandas,  
    abhinc brevi abiturum,  
Patronum & Fautorem semper  
    intimæ admisionis,  
    antiquam mentem,  
    & sinceram  
    restificatur  
JOACHIMUS Nerger / Gryphimonte  
Siles. D. & Professor Pandectarum  
Juris Publicus.

---

VVITTENBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.





**T** ego JESU MEO immortales  
persolvi gratias, quod Tibi in  
Ipsius castris strenuè militanti,  
in Poloniarum Regno, ubi no-  
stra Evangelica Relligio hîc & illic eri-  
git caput, composuerit nunc nidum; nescit  
enim ille renum inspector, & pietatis gloriosa  
Merces luctatum Te cum plurimis malis, vel  
momento, deserere. Ne Tibi, candidissimi ani-  
mi Theologo, grave sit, paucis differuisse, quod  
intima (utut Tu in VRATISLAVIENSIIUM  
Rei Publicæ, Ocelli Germaniæ, Gymnasio ad  
D. Mariæ Magdaleniæ Professores indefessè  
audires, & ego illis ad D. Elisabethæ Docenti-  
bus itidem Professoribus auscultarem,  
simul tamen à Magni Illius SCHLEGELII,  
Lutherani Doctoris, & tunc Theologiæ  
Professoris, ore penderemus,) inter nos in-  
tercesserit amicitia, adeò quidem, ut ne un-  
quam reconciliati fuerimus; nec enim Me-  
um LIEFMANNUM amare non poteram,  
qui suæ adversus me adfectionis percon-  
stantis grandia ediderat documenta, forte àn,  
quod illud nostri Kutschen-Reuteri, quanti  
Theologi, quem nunc ex oculis ereptum  
suspi-



susplicimus! de Te latum iudicium, *Tibi igne-  
um inesse ingenium*, divulgaram & Profes-  
soribus, & illis Gymnasiastis, qui nuper Tibi  
faventes, Te nunc impensius colere incipie-  
bant; Quemq; in Confessu Eminentissimorū  
PRÆSIDIS & SENATORUM, Aliorumq;  
Virorū undiquaq; consummatissimæ erudi-  
tionis, Quos Mea BRESLA habet, de gravibq;  
rebus perorantem cum admiratione audierā;  
ut prætereā in auscultandis Verbi Divini Mi-  
nistrorum Concionibus tuum requiescere  
nescium fervorem, ac Tui ipsius Sacram tunc  
acquisitam Eloquentiam, quam sæpe è sug-  
gestu exposueras. Quæ & alia facillimè Te  
mihi devinciebant, erasque mihi expositus,  
obviusque, quacunq; horā, Tecum ultrò ci-  
troq; verba cædendi, lætus animi Te adirem,  
& iis onustus recederem, quæ non unâ nocte  
ruminabam, reddebamq; aliis, tanquam Lief-  
manniana; nec enim pudor est, fateri, à quo  
profeceris; ac ita Vratislaviæ jucundum tem-  
pus exegeramus. Cumq; rursus iterumque  
hîc V Vittenbergæ jungeremur, majores no-  
stra amicitia sumebat vires, cum tuis optimis  
uterer consiliis, in evitandis illâ tempestate,



solitis pœnalisticis exactiõibus, & numero-  
rum emunctiõibus, ac viam monstrares, ut  
intra abditos parietes paucis, mihiq; tuto, vi-  
vere liceret: nec hîc finiebat tuus amor, vo-  
lupe erat, Tibi me in lectiõibus publicis No-  
strorum Professorum Fidelissimorũ, Scharf-  
fii, Sperlingii, Ostermanni, Pompeii, Alio-  
rumq; affedis: ac quamvis ego, in Philolo-  
phicis modum tenens, Jctorum frequenta-  
rem Scholas, nihil tamen mihi per horas sub-  
cesivas prius, antiquiusq; fuit, quam ad Te in-  
visere: Quem in mei commoda semper para-  
tissimum inveniebam, ea audiendo & memo-  
riã sepiendo, quibus facilius Artem Juris ex-  
pedire poteram: in numerato enim, inter a-  
lia quàm plurima, habebas Moralia, Politica,  
Oeconomica, prodromas Juris Disciplinas,  
eaq; cum Suadã quãdã, quæ in tuis labris ses-  
sit, ac invidendã perspicuitate, ordineq; re-  
censebas; nec minùs jucundum accidebat,  
Tecum ex Historiarum veterum- novarum  
monumentis, ac Arte Poëtices, & versificandi  
peritiã, confabulari, ubi persæpè lepores ac  
venustates tuas, cum iis afflueres, profundè  
admirabar: dulceque mihi est, memoriã  
refri-



refricare, quod sæpè Tecum Logicam Disci-  
plinis applicaverim. Præterea immensum  
adfectioni meæ adversus Te incrementum  
dederunt locupletissima illa Testimonia, qui-  
bus Professores per orbem litteratum laudati,  
Jacobus Martini, ac Johannes Hülsemannus,  
Philosophorum ac Theologorum facile Pri-  
mi, ac Johannes Sperling / Aristotele, major  
Philosophus, Te ornabant; in Illorum enim  
Cathedris non rarò Te Virum præstiteras; ac  
adhuc viridi meâ hæret memoriâ, Tuum  
Sperlingium judicasse Te dignum, ut suæ Ca-  
thedræ Insector fieres. Equidem amor  
meus, quo Te depereo, cum improbissimus  
miles Tibi maximè innocuo vulnus periculo-  
sum inflixisset, eclipsin quandam pati vide-  
batur; sed pronus erat DEUS ac in tuis,  
meisque precibus seriis exaudiendis, ut brevi  
convalesceres, ac corde, oreque, quod hætenus  
ob guttur vulneratum tacuerat, totum Te in  
laudes DEI effunderes, repeteresque summâ  
cum voluptate curas tuas in Orthodoxam  
Theologiam, & sobriam Philolophiam unice  
intentas. Ac licet, causis Tibi cognitis ita po-  
scentibus, in Patriam redires, nihilominus amo-  
ri nostro, semel statò, fixoque, in deliciis erant  
nostræ

) ( 3

nostræ



nostræ litteræ huc illuc commeantes, præprimis  
illæ frequentatæ, in quibus de causis cadentis  
Templi apud Vratislavienses Elisabethani dis-  
currebamus; ubi Tu rectè monebas, à me  
ad latis physicis ac DEUM uti solere, ut judi-  
cia sua iusta, in puniendis hominum iniquitati-  
bus, exercere possit, ac illius Templi diurno ca-  
su, nemini hominum tamen nocente, ostenderet,  
quàm in concedendo, ad frugem nos conver-  
tendi meliorem, tempore largissimus sit. Nunc  
dum audieram, Te in nostrâ Silesiâ apud Li-  
gnitztienses Archidiaconatû ritè capeissentē pu-  
rissimam Evangelii Doctrinam profiteri, &  
strophas aliorum confutare, mirificè gaude-  
bam, persuasissimum enim mihi erat, Te Do-  
centem, & alios ad nostram Religionem addu-  
ctum iri, adq; Tui exemplû, quo in Tuo Templo  
& extra id, Fidei, virtutis & probitatis documentû  
omnib; solebas esse, vitam malè actam emenda-  
turos. Augescebatq; gaudium meum, dum,  
Mi LIEFMANNE, è Silesiis, omne punctum  
honestissimæ vitæ ferentem, in Hungariæ Re-  
gnum Divinâ Vocatione stipatum, ad SUPER-  
INTENDENTIS Spartam, apud Casso-  
vienses & Unitas Civitates ornandam, Te mitti  
sciebam: Quam possidens omnes cogitationes  
in eo locatas *habuisti*, ut Evangelium CHRISTI  
in animos Auditorum fideliter insinuares, & à  
quovis fermento purgares. Quam Tui animi  
sollici-



sollicitudinem dum satanas, qui infelix lolium  
& steriles avenas disseminare solitus est, æger-  
rimè fert, fit, DEI permissu, ut Hungariâ, Tuâq;  
summâ Functione Ecclesiasticâ tandem, antè ta-  
men, ut & olim semper, REGI HUNGARIÆ,  
SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATI, Thronorû  
firmamenta, Archi-Ducalisq; Domus terminos  
æternùm duraturos, ceteraque felicissima cordi-  
citùs apprecans, cederes. Cumque DEO pla-  
cuisset, ut hanc Civitatem remeares, spem mihi  
faciebam certam, fore, ut hîc perstares, ac ita  
amor meus in Te exsatiaretur: sed Consilia Di-  
vina, juxta modum humanorum, ne compona-  
mus homines: satis erat DEO visum, Te hîc in Sa-  
xoniâ Electorali, Religionis Lutheranae fertilissi-  
mâ, aliquoties è suggestu Conciones talesmodi  
habuisse, quæ Puritatem Verbi Divini spirabant,  
quæq; instar puri amnis, sine ullis sordibus, labe-  
bantur, totæ ardebant, ac instar ignei torrentis in  
animos defluebant, ex quib9 Auditores, præcon-  
ceptis opinionibus non præpediti, tanquã ex un-  
gue leonè, judicabant, hincq; lubenti animo Te in  
Statione aliquâ Ecclesiasticâ hîc collocatû opta-  
bant. Itemq; Numini satis erat, Te in Silesiâ, Hun-  
gariæq; Oris Doctrinam Fidei salutiferam forti  
pectore, ac nec minas, injuriasq; curante, propa-  
gasse. Divini profectò super Te Consilii stetit sen-  
tentia, ut in Poloniis, ILLUSTRIS, GENEROSIS-  
SIMO q;



SIMOq; DOMINO *Christophoro ab Urube* Patrono tuo Summo, Propugnatore Evangelicæ Religionis & Vigilantissimo & Felicissimo, Divinitus negotium agitante, ad Primarii Pastoris & Inspectoris in Urbe Birnbaum Officium legitimè voceris: ubi, quod auguror, fores Tibi adaperientur, ut Lumē Verbi Divini numero innumeris fœnora-res: expetiit enim ab aliquot retrò annis, & post-quā Thoruniis in Colloquium Relligionū ventū erat, ac iterū rursq; Nostra multis Gentibus per Ministeria Divinorum Heroum, Nostratiū Theologorum, innotuerat, in plures Dynastias, Civitatesq; Poloniarum hæc felicitas, *ut loquerentur Lingvâ Chanaan, & jurarent per Dominum Exer-cituum: Esai. XIX, 18.* id est, veræ Relligioni addi-cti essent. Nec illud reticendum, quod in illo Sar-matarum Regno summa floreat Justitia, cujus rei locupletissimū Testem laudare habeo Generosū ac Nobilissimum Theodorum Zawack ex Fa-miliâ Rogalâ, Equitem Polonum, in suo Processu Judiciario Regni Poloniae. Ito igitur, eruditione & Pietate Cumulatissime Theologe, ac olim apud Silesios, Hungarosq; Concionator Excellentissi-me, in tuam Vineam, ac in Domino Tuo laborâ: dabit Ille incrementa, teq; Tuosq; diutissimè so-spitabit. Hisce Te perpetim valere, mihiq; quē Tui nulla unquam capiet oblivio, favere volo. E Muleo meo d. 27. Februar. Anno CHRISTI M. DC. LXXVII.



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3  
002 686 287



Sb,


VD17  
Sep. 2000 Pd.











43  
 EDICTORIA,  
 REVERENDUM,  
 SSIMUM,  
 NUM  
 IEFMANNUM,  
 lolophiæ Doctorem, &  
 imum, nuper Ecclesiæ Au-  
 ropoli Superioris Hunga-  
 m, Gymnasii ibidem Inspe-  
 rarum Civitatum Superins-  
 gillantissimum,  
 catum  
 & INSPECTORIS  
 fessionis Birnbaumensis  
 El Gratiam, ornandas,  
 abiturum,  
 utorem semper  
 missionis,  
 mentem,  
 eram  
 ator  
 erger / Gryphimonte  
 for Pandectarum  
 blicus.  
 BERGÆ,  
 I SCHRÖDTERI.

